**Dissertatio medica de paralysi / [Joh. Adam Saher].**

**Contributors**

Saher, Joh. Adam (Johann Adam), active 1630
Sennert, Daniel, 1572-1637
Universität Wittenberg

**Publication/Creation**

Wittenberg : Heirs of S. Auerbach, 1630.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ke7rgc63

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

5704/ 12.

# DISPUTATIO MEDICA
# De
# PARALYSI,

*Cujus Theſes*

ARCHIATRI SUMMI AUXILIO

*In almâ Septemvirali ad Albim Academiâ*

SUB PRÆSIDIO

*Clariſsimi, Excellentiſsimi & celeberrimi Viri,*

DN. DANIELIS SENNERTI,

Philoſoph. & Medic. Doctoris experientiſsimi, P. P. ejusdemque Facultatis Senioris meritiſſimi, necnon Sereniſſimi Electoris Saxoniæ Medici Ordinarii, Dn. Præceptoris ac Promotoris ſui jugi obſervantiæ cultu æternùm proſequendi,

*Amico Philiatrorum examini publicè ſubmittit*

JOHANNES ADAMUS SAHERUS
Culmbacho-Francus.

*In Phrontiſterio Medicorum ad diem 20. Maii horis deſtinatis.*

*WITTEBERGÆ,*
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
*ANNO M. DC. XXX.*

Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

DEteſtandum ſanè & frequens ubiq́; malum offendimus, quo animal plenum rationis ac conſilii adeò percellitur, ut organa voluntatis imperio ſubjecta, ſui vix compos, pro lubitu flectere nequeat, ſed in truncum ac ſtipitem, ſenſus motusque expertes ferè degeneret. Quocirca operæ pretium me facturum duxi, ſi de tali moleſtiſſimo affectu, imploratâ prius ope divinâ, paucula liberalis exercitii gratiâ pro virili proponerem. *Deſcriptio.*

II.

Symptoma hoc veteres Græci ſatis convenienter indigitarunt Paralyſin, non ut, *referente Foreſto lib.10. Schol. Obſerv. 81.* barbaris quibusdam placuit, quaſi lyſis membrorum læſio eſſet, verùm ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι, quod denotat reſolvi. Cùm enim muſculi, *juxta Galen. 10. de uſu part. c.9. & 11. de V. P. cap.4.* primariò verſus principium ſuum trahantur, nervi his annexi nonnihil intendi debent à virtute animali, ſin minus, ipſi reſolvuntur, flacceſcunt atque relaxantur, nec amplius functiones obire valent. Hinc in Arabico idiomate idem ſignificat ac emollitio, (puta utplurimùm quoad ſenſum & φαινομένως talem.) *Vid. Excell. Dn. Præſ. in Inſtit. l.2. part. 3. ſect.1. c.7. Foreſt. loc. cit.* *Ratio nominis.*

III.

Etſi autem vox iſta latiùs extendi ſoleat in Medicina ad omnem motus ἀτονίαν καὶ ἀῤῥωστίαν quacunque occaſione obortam, & ſic etiam Apoplexiam ſub ambitu ſuo latiſſimo complectatur, quam propterea *Celſus lib.3. c.28.* aliique κυρίως *Homonymia*

Paralyſin nuncupant: longè tamen ſtrictiùs hoc in loco acceptam volumus, in quantum vi genuinæ ſignificationis à Sideratione notabiliter differt, *Galen. in Prorrhet. Aphor. 26. & 60.*

IV.

*Synonymia.* Quo reſpectu etiam, melioris inſuper diſtinctionis ergò pluribus adhuc inſignitur nominibus, dum modò παραπληγία, item παραπληξία vel ἡμιπληγία quaſi diceres, unius ſaltem medietatis enervatio, modò πάρεσις cognominatur, quæ quidem appellationes & ipſæ arctioribus limitibus coërcendæ, ne ob evidens, quod inter eas intercedit, diſcrimen, peſſimè confundantur, ſicut fuſiùs patebit ex theſ. 26. 28.

V.

*Deſcriptio.* Relictâ ulteriori nominum curioſâ indagatione, ut clariùs præſentis affectus indoles in conſpectū prodeat, breviter eum hoc modo deſcribere lubet, quod ſit *motus aut ſenſus, vel utriusq; ſimul ac ſemel in parte unâ pluribusve amiſſio, ex ſpirituum animalium ad motum προαιρετικὸν ſummè neceſſariorum defectu oborta.*

VI.

Singula hujus deſcriptionis membra ſeparatim ſumta non examinabimus, cùm per ſe firmiori probandi ratione nullatenus indigeant & in ſequentibus, præſertim in enumeratione cauſarum, differentiarum annotationibus, in determinationibus partium affectarum, cæterisque in locis quamplurimis accuratiùs eorum meminiſſe occaſio ſe oblatura ſit.

VII.

*Genus.* Cui generi rerum p. n. Paralyſis annumerari debeat, ex hactenus dictis luculenter apparet, neque de hoc commemoratu digna movetur controverſia inter eruditos; ſiquidem omnium ferè conſenſu pro ſymptomate functionum animalium motricum & ſenſibilium habetur, variisque morbis conſectarium cenſetur, naturâ nihil ad ejus generationem conferente, *Dunc. Lidd. l. 3. Inſtit. Med. c. 8.*

IIX.

Facultas itaque locomotiva cùm fine ſuo fruſtretur, &

præ-

præterea plura inſtrumenta præſtando motui ſpontaneo ſubſerviant, cerebrum videlicet appetentis ac imaginatricis facultatis ſedes, cujus auctoritate, quâ pollet, imperat, nervi imperium deferentes, & tandem muſculi mandatum alacritate ſummâ exſequentes; meritò inquirendum venit, quodnam ex hiſce organis maximè infeſtetur, unde poſtmodum ſenſus ac motus abolitio ſequatur.

IX.

Et cerebrum quidem hoc in caſu ſatis immune arguunt principes quæ in eo exercentur operationes, quantumvis reliquæ partes reſolutæ interdum levem noxam in certâ illius portione detegant, nec ſemper eousque cauſſa pertingit. Quod ſi tamen ob inſigne detrimentum cerebri, ſenſus interni pariter ac externi unà cum motu lædantur, non ſolùm Paralyſis, qualem nunc explicamus, efficietur, verùm etiam multò vehementior affectus à noſtro inſtituto alieniſſimus excitabitur.

X.

Nervos potiùs, quibus anima inſtar aurigæ equos fræno gubernantis ſpirituū communicatione ſuccurrit, ut eleganter, inquit, *Galen. l. 1. de mot. muſc. c. 1.* huic malo expoſitos ſtatuimus. Etenim illorum pars minima laborans dyſcraſiâ quadam aut deformiter proportionata vel ſauciata ſubitò deſinit ſpiritus tenuiſſimos per ſe hac atque illac diffluentes amplexibus ſuis admiratione plenis continere & ad determinata membra derivare; quo fit ut partes omnes à nervi offenſi ramulis tactæ reſolvantur.

XI.

Patet nimirum exinde, ſubjectum adæquatum Paralyſeos conſtituere univerſas corporis partes nervoſas: nec à nobis diſſentire videtur ipſe *Ariſtot. lib. 3. de hiſt. animal. c. 5.* ubi nihil ſtupore, paralyſi & convulſione tentari aſſerit, quod nervo caret; licet ibidem circa nervorum originem graviter aberraverit. Subjectum cauſſæ ipſimet ſunt nervi. Nec eſt quod dicatur muſculorum quoque vitio non ſuſcipi ſpiritus animales; Πρῶτον ὑποδεκτικόν.

 hoc

hoc enim muſculis accidit propter nervos inſertos, à quibus teſte *Galen. l. c.* omnes vires movendi capeſſunt.

XII.

αἰτιολογία. Hucusque de definitione, genere ac ſubjecto: jam ad differentias, Signa & Curationem progrediendum foret, niſi cauſſæ nos impedirent, quarum utilitas multijuga ſilentio involvi nequit. Tantum enim in curatione deficimus, quantum in cognitione aberramus & curationis feliciſſimæ initium putatur cognitio morbi, quæ per cauſſas fit, ideoque meliùs in rerum omnium cognitione verſamur, quemadmodum paſſim à Philoſopho & *Galen. l. 1. M. M.* monemur.

XIII.

αἴτιον συνεκτικόν. Ut verò uniuscujusque rei, ſic etiam Paralyſeos unica duntaxat rectè ponitur cauſſa continens ſeu proxima, quæ eſt, non alicujus vis Magneticæ, quam temerè nonnulli membris motui dicatis affingere laborarunt, amiſſio, nec facultatis influentis, quippe quæ nullibi extra ſuam ſubſtantiam conſiſtit, atque actu primo ſemper præſens, inopia, verùm ſpiritus animalis motum ac ſenſum impertientis defectus, ſine cujus influxu deliteſcens facultas protinus agere nihil ſuſtinet, *Gal. l. 1. de uſu part. c. 15. & 1. de loc. affect. 7. 4. de loc. affect. c. 6.*

XIV.

αἴτια προηγούμενα. Dependet hujusmodi effectus & radii virtutis motricis avertuntur à cauſſis tùm externis ac evidentibus, tùm internis. Cauſſa præcedēs interna maximâ ex parte fit ſuccus pituitoſus, frigidus & humidus nervos pernitioſis ſuis qualitatibus contaminans, quò minùs animali ſpiritu adimpleri & perfrui poſſint. Colligitur plerumque peccans iſthæc materies in capite tanquam ſuâ Metropoli, hincque è ſinibus cerebri critico naturæ modo protruditur vel ſponte recto tramite per ſacram fiſtulam delabitur ad nucham, ubi oſcula nervorum arctiſſima, ſi tenuior exiſtat, irrepit; & cavitates actum inſenſiles replet: ſin craſſior, citiùs extra oſtiola eorū perſiſtens ſpinæ cavitates ingreditur, ut inter vertebrarum foramina & medullam, inter tunicas & medullam nervos deſcendentes comprimendo vel

do vel alio pacto eosdem afficiendo ſpiritibus animalibus commeatum intercludat.

XV.

Non n. craſſos ejusmodi humores ſolummodò per θλίψιν ſeu compreſſionē organicā nervorum cōſtitutionem deſtruere facilè credendum eſt cum recentioribus quibusdam, qui in nervis ſpatia pro tàm ſubitò tamquè ſpiſſis humoribus capiendis prorſus deeſſe autumant, unde ſimpliciter obſtructionem tanquam ſanæ rationi minus conſentaneam admittere nolunt; ſed omninò ſciendum aliquos ſuccos nervorum ſubſtantiam penetrare & poroſulos adimplere. Licet enim cavitates illæ adeò exiles ſint, ut aciem oculorum eludant, non tamen omnes ſtatim denegandæ; neque ſemper tanta humorum craſſities intelligatur qualem ſibi imaginantur.

XVI.

De cæteris humoribus excrementitiis, utrum & illi ad Paralyſis generationem aliquid conferant, multi acriter invicem digladiantur. Nos verò relictis aliorum erroneis opinionibus, veriorem eorum ſententiam amplectimur, qui reliquos humores non planè excludendos volunt. Teſtatur enim *Fernelius l. 5. de part. morb. & ſympt. c. 3.* ex flàvâ bile ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi ac originem nervorum effusâ quandoque Paralyſin fuiſſe productam, neque viæ deſunt, per quas humor bilioſus ad nervos tranſire poſſit, cùm fomes febrilis licet extra venam cavam ſit, tamen in eam ſpargatur & in paroxyſmo tandem per ejus ſurculos partim ad ſpinalem medullam, partim ad muſculos expellatur, *Excellentiſſ. D. Præſ. l. 2. de Febr. cap. 17.* Similem materiam pro excitandâ Paralyſi ab inſigni peripneumoniâ & colicâ per criticam metaſtaſin ab humore bilioſo genitâ communicari poſſe, clariſſimi Medici docuerunt.

XVII.

Sic Melancholicus quoque ſuccus virtuti motrici impedimento jacet, dum circa hujus canales ac vectores reſtagnans terreſtri ſuo pondere viam anguſtiorem vel prorſus inpermeabilem

bilem reddit, aut cum admixtione humoris ſeroſi ſolidam nervorum ſubſtantiam emollit, ſimul ac uſu legtimo privat; id quod accidere ſolet in illa Paralyſi, quæ dolores ventris in ſcorbuto ſequitur. Propriâ autem vi ut humectet tantum abeſt, ut potius exſiccet, poteſtate nimirum, quanquam actû jam ſpeciem quandam humiditatis præ ſe ferre videatur, ideoque membra laxat nonniſi ſero immiſceatur, cui unicè acceptum ferendum, quod iſtiusmodi effectum importet, *Conſulatur Excell. D. Præſes in tract. de Scorb. c. 3.*

XIIX.

Nec parum huc faciunt, tumores interni nervis quàm proximè aſtantes, vel his ipſis adhærentes, conſtipatio ex craſſiore habitu & conditione alimentorum viſcidorum, frigorisvè inclementiâ conquiſita, muſculorum ac tendinum labes, veluti ſunt cicatrices poſt vulnera & contuſiones reſiduæ, ſcirrhi, nodi, calli, rupturæ item ligamentorum, eroſiones, apoſtemata, ulcera ſinuoſa, cancer, gangræna.

XIX.

προκαταρκτικά.

Externæ ſunt, aëris intemperies frigida, pluvioſa & humida, temporis conſtitutio hyberna, cœli plaga inclementior, circa lacus ac flumina verſandi conſuetudo, nivis ac glaciei detentio in manibus diuturnior, mora ſuper lapide frigido, ſub radiis item lunaribus, natationes in aquis algentibus: cui rei fidem facit hiſtoria quam habet *Galen. 6. de loc. aff. c. 4.* de quodam piſcatore, qui in fluvio piſces venans circa ſedem & veſicam adeò infrigidatus fuit ut ipſo invito & alvi excrementa & urina effluerent. Per accidens concurrit æſtus Solis intenſior ſopitam materiam in corpore ſuſcitando, & ad fluendum diſponendo.

XX.

Maximè vapor narcoticus, præter notas qualitates, generi nervoſo clandeſtinas ſtruit inſidias: hinc ſtupor provenit ex Torpedinis contactu in lacertis validiſſimis pedibusque velociſſimis *Plin. libr. 32. c. 1.* ex contrectatione argenti vivi aurifabri tremulas concipiunt manus, *Foreſt. l. 8. obſerv. 8.* eosque Paralyſi

ralyſi frequenter obnoxios reperiri narrant, qui *Venetiis ſpecula* parant. Et refert *Johann. Beyer in Ciſt. Med. Clariſs. Med. Germ. à Joh. Hornungo edita Epiſt. 123.* ſe, cum aliquando hydrargyri officinas viſitaret, in Carniolâ loco incolis Hydria dicto, omnes penè foſſores & excoctores tremore laborare obſervaſſe, & ſeipſum quoq; poſtquā in profundiſſimos cuniculos diſcendiſſet, ſtupore corripi viſum fuiſſe. Talis maligna qualitas ex parietibus calce recens incruſtatis & dealbatis, cellis vinariis, carbonib. item extinctis promanat. Nec diſſimili facultate Paralyſin inducit immodica vini meracioris ingurgitatio, cujus rei hiſtoria extat apud *Fernel. lib. 5. de part. morb. & ſympt. c. 3.*

XXI.

Quanquam enim hîc altiùs Hermetici ſcrutentur, quodnam in vino nomē cauſſæ proximæ mereatur & præcipuè cum Quercetan. *in Tetrad. c. 6.* illuc confugiant, quod ſcilicet vitis, ſi ullum aliud vegetabile, metallicos hauriat ſpiritus, atque hinc ſalium vitriolatorum & corroſivorum copiâ ſcateat, quibus ὁμόψηφος eſt *Hartmannus in diſputat. Chymicomed. 8*; licet quoque dogmaticis nonnullis arrideat, vinum propter ſubſtantiæ tenuitatem ad nervos excrementa protrudere & varios nervorum affectus excitare; Vero tamen magis conſentaneum ſtatuit *Platerus lib. 1. Obſerv.* peculiarem vim ſpiritus conſopiendi vino aſcribens, quod cum damno experiuntur illi qui nimium potando magnam morborum cauſſam accumulant.

XXII.

Juvant ulteriùs ad reſolutionem introducendam, ingluvies eſculentorum pituitam ſuggerentium, uti eſt caro vitulina nimis humida inprimis vituli lactantis aliiq; cibi refrigerantes, vita ſedentaria, otii ſomnique nimia indulgentia in loco frigido ac humido, ſicut etiam motus concitatior, veneris exercitium juſto frequentius, vigiliæ longiùs protractæ, nec non triſtitia, metus & timor, quibus cerebrum refrigeratur, & ſpiritus incraſſantur; ut & vehemens gaudium, riſusque ad mortem uſque implacabilis, *Heurn. l. de cap. morb c. 24.*

 23. Fo-

XXIII.

Foris quoque membra paralytica producunt percuſſiones capitis, ſic obſervavit *Platerus l. 1. Obſerv. Med.* puerum quendam à muliere ſcopæ inverſæ manubrio in cervice percuſſum ſtatim obmutuiſſe, ſurdum ac utroque ſimul latere reſolutum manſiſſe: caſus etiam ab alto, ſic Pauſanias ille Sophiſta ex curru delapſus ſenſum trium digitorum manus lævæ perdiderat, *Galen. 1. de loc. affect. c. 6. & 5 de loc. aff. c. ult.* ictus item, vel ſi quis incoxans genu in poplitem immittat, caput diutius cubitis fulcitum teneat, vertebrarum diſtorſiones ſubitaneæ, oſſium fracturæ, vincula arctiùs injecta, ponderaque graviùs incumbentia & quæ ſunt id genus alia plura.

XXIV.

*Differentiæ.* Inveſtigatis etiam cauſſis procatarcticis & antecedentibus, accedimus nunc ad differentias, quarum benè multas præſens affectio ſortitur, prout vel in ſe & propriè conſideratur, vel cum aliis ſymptomatibus ipſi affinibus comparatur. Priori modo petuntur differentiæ *ab ideâ* ſeu *formâ* mali, *partibus affectis* & *cauſſâ* denique *efficiente.*

XXV.

Ratione *formæ* Paralyſis triplex emergit, una exquiſita & perfecta, quam motus ſenſusque ex æquo abolitionem definiunt; altera imperfecta, in quâ deperit motus, ſuperſtite ſenſu: Tertia imperfectiſſima ſeu inchoata, ubi tollitur ſenſus, illæſo permanente motu, hanc *Galen. c. 12. lib. 3. de loc. affect.* non reſolutionem ſed ἀναισθησίαν potiùs appellandam cenſet.

XXVI.

Utraque facultas aboletur, quando commune principium afficitur, ſive nervi muſculis & membranis inſerti radiis ſuis motivis ac ſenſitivis orbantur. Econtrà illæſo cutis nervo, ſi corrumpatur nervus muſculi, motus ceſſat, ſalvo perſiſtente ſenſu & ſic nervus alterius damnum accepit, alterius verò manſit immunis, ac etſi ab uno principio originem duxerint, fuerint tamen in viâ divaricati: Si verò nervus per

cutim

cutim diſperſus offendatur, ſenſus amittitur, nervus verò qui per muſculum tranſit, noxâ vacat & proinde muſculus ipſe movetur. Porrò cùm ſenſus magis ſit paſſio quædam, motus autem actio; illius functio ab exiguâ virtute influenti perfici poteſt, hic contrà plurimo indigebit animali ſpiritu. *Vid. Galen. lib.1. de loc. affect. cap.6. Valleſ. lib.2. Controv. cap.24. Laurent. lib.4. anat. quæſt. 10.*

XXVII.

*Partes afflictas* quod concernit, diſpeſcitur reſolutio in generalem, ubi præter caput truncus univerſus aut ejus alterutrum latus enervatur, hanc *Aretæus* hemiplegiam ac paraplexiam propriè dictam vult & in particularem, quando unius lateris partes determinatæ reſolvuntur, ut lingua, maxilla, labrum, brachium, manus, crura, pedes & quicquid ſub diaphragmate conſtituitur. *Foreſt. lib. 10. de cerebr. morb. Schol. Obſerv. 81.* atque in hiſce particularibus inſtrumentis ſpeciem & nomen non rarò paralyſin variare ſcribit, *Liddel. in Inſtit. Med. lib. 3. cap. 8.*

XXIIX.

*A cauſſis effectricibus* quoque diſcrimina hujus mali notantur, quas ut varias ſuprà conſtituimus, ita & variæ Paralyſeos differentiæ occurrunt. Alia namque eſt quæ producitur ex ictu, caſu, vinculis, & intemperies nuda quam excitat, iterum alia conſpicitur, nec cum hiſce omnimodè convenit orta ex humore pituitoſo, bilioſo vel etiam Melancholico, aut narcoſi aliquâ inſtructo, quarum rerum diſtincta notitia ſummam utilitatem in remediis aliter atque aliter adplicandis affert.

XXIX.

Præter modò enumeratas differentias, non ineptè aliud adhuc diſcrimen quærimus inter Paralyſin veram vel propriè ita dictam quæ plerunque non lethalem Apoplexiam inſectatur, principium nervorum ſemper infeſtat ac motum omnem tollit, nullo ejus veſtigio relicto: deinde inter ſpuriam vel analogicam, quæ excipit coli cruciatus & *à Libav. in Ciſt. Med. Epiſt. Clariſſ. German. Medic. epiſt. 20. 21.* & aliis in ſpecie πάρεσις

 voca-

vocatur, vel ſequitur ſcorbutum & ſceletyrbe dicitur, in quibus non principium nervorum ſed corpora nervi formia offenduntur, nec motus omninò aufertur; verùm maxima ejus vis amittitur, & facilè evaneſcit. *Clariſſ. Dn. Præſ. Inſtit. l. 2. p. 3. ſ. 2. c. 5. Salom. Albert. de Scorb. hiſt. Bald. Ronſ. de Scorb. cap. 4. & Matth. Martini tract. de Scorb.*

XXX.

In collatione ad conſimiles affectus diſcrepat Paralyſis. 1. ab *Apoplexiâ*, quod in hac principes cerebri operationes deſinant unà cum ſenſibus externis, in illa verò virtus tantum locomotiva mentisque ſatellites ceu internuntii lædantur, ſalvis facultatibus intrinſecis. 2. ab *Iſchiate*, cùm hîc motus duntaxat imminuatur & tunicæ afficiantur: illîc planè immobiles evadant partes nervique laborent. 3. ab *Arthritide*; in Paralyticis enim conatus adeſt progrediendi; in arthriticis minimè, quia nervi tunica jacturam patitur.

XXXI.

4. *Spaſmo* etiam contradiſtinguitur: illius enim natura & ὕπαρξις conſiſtit ἐν τῇ λύσει; hujus autem ἐν τάσει, ſedesque paraplegiæ eſt in nervo medullari; convulſionis in muſculis; in paralyſi pars ſana contrahit ægram, adſtipulante *Galen. 4. de inter. 14.* vice verſâ in ſpaſmo pars ægra cùm ſit rigida, contracta, nec prolongata, allicit ad ſe ſanam quæ magis eſt extenſibilis, *ut idem vult. 2. de morb. cap.* Præterea in ſpaſmo membri attracti longitudo abbreviatur ac in latum vergit, in paralyſi membra inſtar lori pendula cernuntur nullique contracturæ locum relinquunt, *Valeſc. l. prax. c. 32.*

XXXII.

Signa. Tranſitum facimus ad Signa, quorum duo potiſſimùm attendenda veniunt, διαγνωστικὰ ſeu δηλωτικὰ videlicet & προγνωστικὰ: illa partim ſpeciem ac formam reſolutionis manifeſtant, partim in locum principaliter affectum nos deducunt, partim denique cauſſas declarant. Hæc de ſtatu futuro bono vel malo nos certiores reddunt.

33 Hu-

## XXXIII

Hujus quidem Symptomatis facies primo ſtatim intuitu dignoſcitur, ut ſignis hic opus eſſet nullis, quoniam ex ipſius ægri querelâ aut aſtantium ſermone percipi poteſt. Quod ſi tamen etiam lingua fuerit reſoluta, nec alij adſint, idem perſentiſcitur, quando minus exactè ſenſilia percipiuntur neq; libera obſervatur motio earum partium, quæ ſponte noſtra moveri debebant, pulſus debilis, tardus, rarus, in quantum enim ægri virtus influens motiva debilitatur, in tantum etiam imbecillis efficitur pulſus, *Valeſc. de Tarant. loc. cit. Gal. in libr. de Cauſ. pulſ.* pars ægra interdum eſt frigidiſſima propter oppilationem, quod ſpiritus eò tendere nequeat; ſed pars ſana eſt calidiſſima ob maximum ſpirituum ad eam affluxum. *Scholtz. 7. Aphor. 843.* *Diagnoſtica.*

## XXXIV.

Locum primario affectum, cujus inprimis ratio haberi debet, hiſce τεκμηρίοις, inveſtigamus: Si quis ab externa injuria membrū paralyticum reportavit, in promptu cauſa, pariter ac ſedes mali principalit aderit: ſin verò aliundè acciderit, altiori mentis indagine inquiratur quò in loco vel ſenſus deficiat, vel motus deſinat, atq; ex ſemel acquiſita mirabilis nervorum texturæ ſcientiâ in memoriam revocetur, quot ibi nervorum ſurculi implantati, contineantur, undeq; proſiliant.

## XXXV.

Quod ſi igitur pars faciei dimidia immobilis exiſtat ſenſibusq; deſtituatur, argumēto eſt focum mali eſſe in cerebri medietate eidem correſpondente, altera huic è directo oppoſitâ regione ex ſingulari Naturæ ſagacitate ſervata integrâ. Quandoquidem cerebrum mediâ meninge fiſſum in duas partes æquales diſtinctas, ut & medullæ ſpinalis caudicem artis beneficio diremptum ſe multis aliquoties oſtendiſſe ſcribit *Clariſſ. Dn. D. Nymmanus in ſuo tract. de Apoplex. cap.* 16. ſi verò membra ſupra cervicem collocata in columia maneant & quæ ſubtercubant omnia infeſtentur, nō in cerebro ſed circa primum ſpinæ proceſſum noxa latebit; Vbi unum tantum latus debitatur,

vitium fovebit portio dorſalis medullæ è regione nocument ſita.

XXXVI.

Sin determinata pars reſoluta fuerit, ingenioſè quæratur eius nervorum exortus; ut ſi manus omni ſenſuac motu exutæ ſunt, quinta ſpinæ vertebra læſa erit; ſi vero non in totũ ſentiendi mouendiq; facultas periit, ſextam malum occupavit. Septimæ damnum iisdem quodammodo communicatur. Octava vero exiguam, hac autem inferiores nullam penitus offenſam manibus inducere poſſunt: Verum quæ in projectioribus vertebris læſio contingit, remotiora organa petit & inde venit difficultas aut impotentia alvi aut veſicæ onera egerendi aut pedibus gradiendi poteſtas adimitur, quâ de re prolixè tractat, *Gal. de loc. affect. & 1. de cauß. Sympt.* ſic deveniendum eſt ad alias partes privatim enervatas, ad quod requiri ſolidam Anatomes cognitionem ait *Galen. l. 1. de l. affect. c. 6.*

XXXVII.

Reſerant cauſas ſymbola, quibus paralyſin ab humore pituitoſo prognatam cognoſcimus; ſi nempe temperamentum corporis fuerit frigidum & humidum, corpus pallidum & molle, ætas ſenilis, ægerq; antea in aëre frigido, humido aut pluvioſo verſatus, in otio vitam traduxerit, ſomno nimium indulſerit, cibisq; refrigerantibus vſus fuerit & conſuetum per nares ac fauces pituitæ profluvium ſuppreſſum ſit, Quæ de pituita conjecturæ confirmantur, ſi æger ante invaſionem capitis gravitatem, ſegnitiem in motu & ſenſu ſenſerit cum ſtertore dormiverit, in aquam ſe immergi & ſuffocari aut glacie vel nive ſe operiri ſomniaverit.

XXXVIII.

Ex bilioſo vel icheroſo ſucco exortam arguunt, temperatura calidior ac ſiccior, ſiq; æger multum fortioris & ſulphurei vini exhauſerit, ſiti frequenter vexatus ſit, color corporis citrinus, urinæ rubicundiores, ſi quoq; vehementior pulmonis inflammatio, coli dolores intolerabiles, atq; alii ejuſdem generis

neris bilioſi affectus præceſſerint; qui aptam materiam generandæ paralyſi ſuppeditare in fine ac receſſu poſſunt.

XXXIX.

Melancholicum humorem adeſſe colligitur, ſi gravitatis ſenſus ſit cũ vigiliis & ſpectris in ſomno horribilibus, pavores ſine cauſa, cogitationes anxiæ & aſſiduæ, mæſtitia, facies macilenta & horrida, color cernitur lividus & plumbeus, nonnunquam occurrit repentina motus amiſſio, in quà ægri oculis apertis fixo obtuitu res contemplantur quæ circa ipſos fiunt, excrementa ferè nulla eijciuntur è capite. Cum hiſce conſentientes & melancholiam cumulantes cauſſæ aliæ ſi præceſſerint, certius de hac materiali intemperie judicium habebitur.

XL.

Narcoticum foris aſſumptum ſi partes reſolverit, à Medico ex relatione aliorum animadverti poterit, neq; hoc latebit ſi quis vino vel ſpiritu eius ſeſe madefecerit. Sin autem in corpore ſuſcitatus fuerit ille vapor, id ex eo conijcitur, quod reliquarum cauſſarum indicia abſunt. Si ab ictu, percuſſionibus caſu, vulnere, ſtrictioribus ligaturis, oſſium fracturis, luxationibus & ſimilibus cauſis evidentibus enatum malum extiterit, facilè ex verbis præſentium patefiet: obſervare quoque utile eſt juvantia juxtim ac nocentia.

XLI.

Priusquam manus medicas adhibeamus, notabimus an recuperabilis ſit ſanitas nec ne, hoc indicabunt ſigna prognoſtica. Paralyſis ergò trahens originem ex humoribus craſſis, lentis ac glutinoſis, nervoſo generi admodum tenaciter impactis curatu difficilis erit, cum ſatis tardè validiſſimis etiam remediis contumax eius materia cedat, ægriq; ſæpius interea præſcriptos ſervandæ diætæ limites tranſiliant. Minori contra negotio expellitur illa quæ ex humore tenui in aliquibus inſtrumentis vel alia leviore de cauſſa propullulavit. *Prognoſtica.*

XLII. A-

## XLII.

Apoplexiam mitiorem excipiens reſolutio, ad priſtinam ſanitatem difficulter revocabitur, cum ob virium dejectionem, tum fomitis ab illâ ſuggeſti nimium depravatas & toto genere p. n. qualitates acutiſſima telainſe directa declinantes: quin imo periculum eſt ne homogeneæ materiæ incremento magis magisq; ſumpto anſa rurſus priori caſui præbeatur aut ejuſmodi humor malignus illuc regurgitet, vnde initium delabendi cœperat, ſicq; de novo excitet ſiderationem.

## XLIII.

Læſa communi nervorum ſcaturigine, calamitoſum denuntiatur malum; ubi vero rivuli aliquot inde promanantes labefactantur, mitior cenſenda paralyſis. Sin unicus ſaltem nervus, ſive is motorius, hoc eſt organo motui deſtinato inſertus, ſive ſenſitivus ſeu partibus ſentiendi facultate inſtructis annexus fuerit, afficiatur, minus periculum imminebit. Ab intemperie vel tumore duriuſculo virtus influens ſi præpedita ſit ſuperari hæc injuria poterit, modò ſcirrhi duritiem nondum æmuletur & pars enervata juſtam quantitatem ac vegetum calorem non deponat; tunc enim lethiferum ſignum judicatur.

## XLIV.

Nervus transverſim inciſus, ſi membra paralytica reddat, Medicum oleum & operam in eo iterum combinando perditurum inquit *Hippocrates 6. aphor. 19.* Quæ reſolutio oritur ex nervorum denſitatibus, aut conſtipationibus â frigore natis, ſanabitur, attamen ægrè, id cum acciderit ab humore atro non ſine ſummâ difficultate emendabitur, utpote qui altius infixus hæret, nulliſq; medicamentis citò elicitur, ſed multoties cuniculis expugnari ſatagit.

## XLV.

Ab ictu violentiori ſubito exoriens enervatio, extra ſpem ſalutem ponit, à minus tamen valido appulſu paralyſis diebus benè multis poſt exſurgens manus curationi dabit. Vertebarum intrò luxatio ſi mali author, deſperata erit ſanatio mortemq;

temque minabitur repentinam, cùm vehementem nervis contritionem, compreſſionem, aliaque mala inferat; ſi foras fuerit diſtorſio reponitur, non æquè citò, ſi ad latera vertebræ dislocentur.

XLVI.

Juvenis in Paralyſin incidens ſi euſarcos fuerit bona ſpes adeſt, maximè quando caloris notæ ſe offerant, tempusque præſens æſtivum & vernum: diutius autem hoc malo affecti detinentur ſenes, naturâ frigidiores, valdè porclives ad illud inprimis anni conſtitutione hybernâ & raro convaleſcunt, ſed frequenter ad ultimum usque vitæ terminum vexantur, interea miſerrimum halitum ducentes.

XLVII.

Tremor ut in corpore ſano inſtantis paralyſeos anteambulo aderat, ſic in reſoluto, iterum jam jam diſcedentis prodromus æſtimatur & portas ſpiritibus influxuris paulatim latiùs aperiri ac motum ſenſumque intra breviſſimum temporis ſpatium certiſſimè recuperari præſagit. Qui nervi moles inſigniores trahunt, citiùs vindicantur à reſolutione.

XLIIX.

Febrilis ardor interveniens pituitoſam quam vocant Paralyſin contrario niſu removet, expellit ac diſſolvit; ſimiliter ſuperat diarrhæa, ſi ſcilicet reſolutio non adeò fortis nec altiores radices egerit, ſed mitiùs haut ita pridem vires ſuas exſerere inceperit. Neque ignorandum eſt, enervationem ratione terminationis interdum faceſſere in Apoplexiam, Epilepſiam & convulſionem.

XLIX.

Dupliciter proin conſiderari poteſt Paralyſis vel ut eſt ſymptoma, quæ conſideratio eſt ipſius propria, vel quatenus à cauſſa lædente ſuſtentatur: priori modo ſpectata nullam habet Indicationem. Cùm enim reſolutioni ceu ſymptomati veri Indicantis conditiones minimè competāt, nullas etiã Indicationes propriè largitur, quia cùm inſequatur cauſam morbificam ut umbra corpus, & in eſſe ac conſervari ab illâ de- *Indicationes.*

pendeat ad remotionem cauſæ morbificæ, removetur, ſicuti namq; remoto corpore umbra nulla cernitur, ſic ſublata cauſa morbi ſymptoma ab eadem excitatum permanere neſcit. *Horat. Augen. Epiſt.2.l.12.*

L.

A varietate autẽ cauſarum à quibus fovetur, variæ quoq; deſumuntur indicationes: Humores enim vitioſi quocumq; modo noxij funditus extirpari poſtulant vel ad minimum removeri ad ignobiliores partes cerebrum ſpirituum diſſipatione attonitum etiamſi primario nō lædatur, corroborari deſiderat, virtusq; abſumta idoneis medicamentis refici affectat.

LI.

Intemperies alterantia indicat, ſi frigida, calefacienda; ſi frigida & humida, oritur indicatio calefaciendi & exſiccandi; ſin tumor durus obſtiterit, molliendum exhauriendum & diſcutiendum erit: anguſtia verò canalium dilatari vult, ſi ab infarctu ea fiat aperiri: ſoluta tandem continuitas aduniri cupit, quibus indicationibus cunctis an in curatione ſatisfacere valeamus, ex prognoſi antea propoſitâ innoteſcet.

LII.

Vt autem illud turpiſſimum evitetur, quod frequenter imperiti barbitonſores committere ſolent, dum, ubi ſpinalis medullæ funiculus in viâ tantum ad partem læſam malè affectus eſt, integrum dorſum in longum latumq; nulla urgente neceſſitate unguentis ac Emplaſtris ſuis polluunt, nec ultra ea quæ oculis expoſita ſunt ſapiunt, diligenter perpendendum, quando vel commune nervorum principium vel ejus determinata regio oleis inungi aut cerotis obduci debent, vel intrinſecus medicina adhibenda. Reſolutio n. univerſalis innuit opem ferendam principio ſpinæ in cavitate cervicis. Particularis a. enervatio requirit peculiare auxilium; ſic ortus cuiuslibet nervi ægrotans indicabit ſibi ſuccurrendum eſſe primario; ſin verò inductu læſus eius ramus, ibi quoq; medela accommo-

detur

detur, atq; ita ſemper ad ſedem, quam cauſſa occupat, potiſſimum reſpiciatur.

LIII.

Curabilis ſi ſit Paralyſis & â pituita dependeat, eius inprimis inſtituatur evacuatio, præparatio, revulſio, derivatio ex purgatio & reſidui diſſipatio: quæ omnia citius ac commodius fieri nequeunt, niſi corporis univerſalis præcedat purgatio, dein particularis ſequatur evacuatio & tandem parti afflictæ ſuccurratur. Nec n. prius aliquid circa membrum privatum moliri licet, antequam redundantia humoris vel venæ ſectione vel purgatione pro re natâ diminuatur. *Gal. l. de Curand. rat. per ſangu. miſſ.* *Curatio.*

LIV.

Quamobrem etſi ob pituitam quidem phlebotomia locũ hic fere nullum adinveniat; cum tamen Epar fuerit calidius ſanguinisq; plenitudo humori viſcido ſeſe aſſocians vices cauſæ adjuvantis ſuſtinuerit, eum in ætate florente vel etiam conſiſtente viribus permittentibus detrahere Aëtius in principio aptiſſimum remedium prædicat, ſic enim evaporatio ad caput arcetur & ſuperfluum alimentem aufertur, ut Natura poſtmodum onere ſuo aliqua ex parte levata quicquid crudi in ſanguine reſtat facilius & exactius concoquere poſſit, atq; medicamenta poſtea tutius uſurpentur. Locus venæ ſecandæ in brachio lateris non affecti eligatur, vulnuſculum paulò amplius infligendum pro expeditiori craſſioris humoris effluxu, quantitas exigua detrahatur, ne illud vivificum nectar alias ſatis exhauſtum majus exinde detrimentum ſumat. *Foreſt. l. 10. obſerv. 82.*

LV.

Peractâ ſanguinis detractione, aut ſi tali generoſo remedio opus non ſit ſtatim ad ipſius humoris pituitoſi evacuationem proporandum, alvus primiq; ductus eluendi, ne ſordes digeſtivis attenuatæ hinc inde fluctent, nullumq; exitum offendentes majori ſubinde copiâ in intimos nervorum receſſus ſe

diſpergant. Ideoq; ante fortiorum uſum communia inteſtinorum excrementa & fæces aſſumptis injectisq; eluamus, ut illuvie hac depoſitâ catharticorum acies ab eâ nondum hebetatæ magis penetrent.

## LVI.

Optimè id ipſum præſtant Enemata ex *radic: bryon. fol: ſalv. ivæ artbet. centaur. min. mercurial. flor. verbaſci odorati ſ. primul veris, origan. cretic. rutæ, ſtæchados arabicæ, ſemin. ſiler. mont* & medicamentis leniter purgantibus, exceptâ *caſſiâ* nimium humectante, confecta, quæ citra vehementem agitationem illam ſaburram in primis corporis viis ſtabulantem educendi vi pollent: Idem efficiunt *pilulæ aſſaireth*, quia *ſtæchadem* recipiunt & *alephanginæ* aromata multa continentes *Plater. l.2.prax; c.de Mot.Impot.*

## LVII.

Per aliam viam educi poteſt ſuccus lentus, viſcoſus & & craſſus ventriculum onerans, ſi enim ſurſum inclinet æger que facilè vomitum ferat, eò unicè convenientibus vomitoriis ſtimulari debet, ut unico ructu contumax humor ejiciatur, quem alioquin multis arietibus vix removere poſſumus; difficulter verò vomentes & habitiores à vomitu arcere tutius judicat *Hippocrat. 4. aphor. 4.* cum caput repleat nec absque periculo rupturæ vaſis in thorace inſtitui poſſit.

## LIIX.

Porrò ut meliùs purgatio procedat, humorque vitioſus blandè per vias mundatas effluat & ductum catharticorum faciliùs inſequatur, ſecundum *Hippocratis* monitum *2. aph. 9.* excluſioni præparandus erit & pituitâ tùm primis tùm ſecundis qualitatibus noxia contrariis corrigenda, calefacientibus nempe & exſiccantibus, ratione verò craſſitiei attenuantibus, incidentibus & quæ in poros denſæ materiæ ſeſe inſinuandi vim habent, ſique magis craſſitie, quàm frigiditate peccet, etiam valentius incidentia & detergentia quam calefacientia in uſum trahantur.

## LIX.

E ſimplicibus ad ſcopum hunc collimant *Radices ireos, caryophyllatæ, fœnicul. helenii, valerianæ, folia & flores rorismar. betonic. hyſſopi, majoran. rutæ, ſalviæ, calaminth. pulegii, herb. paralyſ. ſatureja, euphraſiæ, chamepit. thymi, ſerpilli &c.* præcipuè *flores ſtœchad. Arab.* quos magnificat *Meſue, lignum ſanctum, baccæ laur. anacard. acorus, nux moſchat. caryophyll. &c.* Inter compoſita excellunt *ſyrupi de ivâ arthet.* & ſimilia quorum ubique numerus ingens occurrit, *Conſulatur Excell. Dn. Præſes 1. pract. pag. 1. cap. 10. & lib. 1. part. 2. c. 28.*

## LX.

Præparatis ita per aliquot dies humoribus, vel ſi Medici opera maturè imploretur, materiâ etiamnum in motu exiſtente, præparatione ceu ſupervacaneâ penitus omiſsâ, ſine morâ paulo fortius evacuantibus utamur, *ſyrupis magiſtralibus ex agarico, mechoacanna, foliis ſenæ &c.* poſt quorum uſum aliquantiſper deſiſtendum atque naturæ cum hoſte certamen ſpectandum ægro intereà decenti diætâ gubernato.

## LXI.

De hinc malo nondum ſuperato, ſuppetias Naturæ feramus valentiùs expurgantibus, qualia ſunt *pilulæ de agarico, fœtidæ, cochiæ, de ſagapeno, hermodactylis opoponace, ſarcocollâ, euphorbio* quas ultimas validiſſimas rarò in uſum venire ſcribit *Heurnius loc. cit.* Mirè commendantur *pilulæ chamæpityos vel Tuæ appellatæ,* quas *Matthiolus* præſentaneum ſtatuit remedium & *Benedictus Victor* glorioſum vocat adjumentum ſi *Scrup. j.* earum ante ſomnum nocturnū cotidiè vel bis ſaltem in ſeptimana ſumatur, ut *Platerus refert loc. alleg.* Laudantur & *pilulæ de iva* manè doſi *Scrup. j.* deglutitæ. Qui pilulas averſantur eligant *Diacarthamum* quod grati *ſaporis ſit* ut & *Electuarium de citro ſolutivum, diaphænicum & indum majus, Benedictam laxativam ad Drach. vj. Heurn. all. loc.* In horum tamen adplicatione omnia prius mitioribus quàm fortioribus experiri prudentem decebit.

## LXII.

Valentioribus hiſce purgantibus adminiſtratis, deinceps aliquandiu ab iisdem abſtinendum, donec tempus redeat eadem iterum iterumque, pro ut opus erit, repetendi, facto ſemper initio à lenioribus per mediocria ad potentiora & quotiescunque interjectis intervallis pax conceditur à præparatione & purgatione, interim incumbens materia balanis, clyſteribus, cucurbitulis ac frictionibus avertatur & pars affecta, ne novum malum ſoboleſcat, roboretur, ſimulque cerebrum non negligatur.

## LXIII.

Reſidens in capite fomes præmiſſis public. regionum purgationibus privatim evacuetur maſticatoriis, apophlegmatiſmis & gargariſmis, & ſi diſpoſitio corporis catharrhoſa phthiſique obnoxia fuerit, potius Errhinis ac ptarmicis eliciatur, quorum deſcriptiones reperiuntur *apud Excell. Dn. Præſ. l. 1. pag. 1. cap. 10.* Materia verò adhuc reluctante, nihil prohibebit, quò minus diureticis & hydroticis per ἄδηλον διαπνοὴν ſudores, continuis tribus quatuorve ſeptimanis; ſi modò vires ætasque permittant, provocando, diſſolvamus & tandem nervis robur *aquis deſtillatis primul. Ver. rorism. ſalv. chamæpit. lavend. & compoſitis apoplect. ac Paralyt. conſervis anthos, ſtœchad. magiſterio perlarum* & ſimilibus addamus.

## LXIV.

Externis in locis blandæ inſtituantur frictiones, aut cucurbitulæ ſine ſarificatione alvo ſubductâ muſculorum initiis in parte malè ſeſe habente affigantur & calor ab his concitatus emplaſtris ex pice, reſinâ pini impoſitis conſervetur, aut membrum ſtupeſcens urticis vivis cædatur vel dropaces atque ſinapiſmi affixi tantiſper relinquantur, usque dum rubor conciliatus tactui vix cedat: Deindè fiant inunctiones *Ol. chamæmel. lil. alb. irin. vulpino, viperino, de ciconia, fele, anſer.* correctâ caliditate ſuperfluâ eorum per additionem pinguium

non

non nullorum: proſunt etiam *unguenta Agrippæ, Martiata, balſama item* naturalia & artificialia, quæ in libris Medicorum paſſim obvia cernuntur.

## LXV.

Nec abs re foret ſi ſæpius ſudorem foris eliceremus in membris è nervatis per exhalationes è decoctis herbarum nervalium, quarum ſuprà mentionem injecimus. Fieri id quoque poſſet in ſtufis ex decocto *rad. lappæ majoris* & æger ſudere largiùs pro fuſo cubitum portetur prius ex liquore idoneò *theriaca Antiq. vel Mithridatio Nicol.* q. ſ. propinatis.

## LXVI.

Fruſtra omnibus remediis impenſis vel parùm proficientibus Paralyticus thermis plumbariis è ſulphure, bitumine, nitro ac pauxillò aluminis conſtantibus committendus erit, vel ſi tales natura loci neget, arte ſuccedaneum paretur balneum ex ſale, alumine tartaro vini, ſulphure & chalybis in aqua crebrâ extinctione, herbiſque convenientibus injectis.

## LXVII.

Congruit ferè partium ex contuſione vel lapſu reſolutarum curatio cum eâ quam hactenus expoſuimus, niſi quod hic ſanguinis in læſam regionem inſultus venæſectione repellatur antegreſsâ ſubductione alvi, & corpori diſcutientia atque aſtringentia cum quadam calefactione adhibeantur abſente inflammatione. In declinatione autem mali vires digerentium ſuperent aſtringentia reliquias abſumendi cauſsâ.

## LXIIX.

Aliis ex cauſſis productas reſolutiones curandi modos conſultò præterimus, cùm plerunque unà cum affectibus quos concomitantur peculiariter eradicentur. Nec hujus loci facimus particularium Paralyſeωn præſidia, quippe quæ fuſiùs & diſtinctim à Clariſs. Pragmaticis diverſis in locis tractantur ad quorum egregios libros harum rerum cupidos ablegamus.

69. Diæ-

tis vicibus injiciantur enemata è lenientibus mitiusque pur-
gantibus l. a. concinnata, vel aſſumantur *pilulæ ex aloë* ſtoma-
cho jejuno, vel *terebinthina cypria* proportione avellanam adæ-
quans ſeu drach. j. aut drach. ij. pondere deglutiatur; quô
primæ viæ purificentur alvusque ſemper aperta ſervetur, nec
luxurians vaporum copia ſurſum in caput liberiùs ten-
dat, *Excell. Dn. Præſes lib. 1. pract. part. 1. cap. 10.*
*& l. 1. pract. p. 2. c. 27.*

## SOLI DEO IMMORTALI.

*Hymnus honor, grates, gloria lausq́; fiet.*

*Ad Præſtantiſſimum & Literatiſsimum.*

DN. RESPONDENTEM,

Sympatriotam amicum & commenſalem ſuum ſvaviſſimum.

*TEmpora nil prodeſt conſumere multa legendo,*
*Per multùm lecta aſt excoluiſſe juvat.*
*Hoc veluti quondam ſic nunc perdoctè* SAHERE
*Expendis, rurſus pulpita adire, parans:*
*Adſtite* SENNERTO *dum quid* περὶ ἀποπληγία *dicis,*
*Et quâ curandum hoc diſſeris arte malum.*
*Gratulor idcircò quod lecta labore diurno &*
*Nocturno cunctis reddere nota cupis.*
*Perge deinde tuam ſic exornare juventam,*
*Ornamenta tuis quò dare multa queas:*
*Perge Machaoniâ ſic fies clarus in arte,*
*Et charus claris, clarus & ipſe, viris.*

συγχομοσύνης ἕνεκα hæc
l.m. ſcribebat

*WOLFGANGUS GROPPIUS*
*Wonſidelienſis.*